



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Nicanore Martyre Uno De Septem Primis Diaconis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE S. NICANORE MARTYRE

UNO DE SEPTEM PRIMIS DIACONIS.

AN CHR.
LXXVI.
X JANUARIJ.
S. Nicanoris
natalis.

A pud Cyprum, natalis agitur x Januarii, B. Nicanoris Diaconi de septem primis, qui gratia fidei et virtute admirandus, gloriosissime coronatus est. Ita Usuardus, Bellinus, Martyrol. Rom. Maurolycus, aliique. Addunt Ado, Notkerus, et quidam mss. ibi venerabiliter sepultum. Galesinius: In Cypro S. Nicanoris: qui unus e septem illis primis Diaconis, cum Evangelium in ea insula prædicasset, ob Jesu Christi fidem multis cruciamentis varie affectus, Vespasiano Imperatore, coronam martyrii accepit. ms. Florarium ait martyrii palmam tulisse anno Christi LXXVI, qui erat Vespasiani VII. Ejus hoc die meminere Beda, vetus Romanum Martyrologium, Cermanicum, aliaque, ac Petrus de Natal. lib. 2, cap. 62.

An cum S.
Stephano
occisus.

2 Paradoxum est quod de eo scribit Auctor libelli de 72 discipulis S. Dorotheo perperam adscriptus: Nicanor, et ipse unus ex septem eodem die cum syndiaco suo et protomartyre Stephano, et 2000 aliis in Christum sperantibus, mortuus est. Sed hujus Auctoris dubia in aliis quoque est fides: nec verisimile est, S. Lucam in Actis Apostolorum id præteritum fuisse: qui tamen cap. 8 testatur magnam in Ecclesia persecutionem

factam; qua haud dubie multi martyrio coronati sunt.

3 Græci xxviii Julii, sanctos Apostolos Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam una solemnitate venerantur. Menologium a Canisio editum: Natalis BB. Prochori, Nicanoris, Timonis et Parmenæ. Hi cum essent ex numero Sanctorum Apostolorum, in diversis locis, propter Christianæ fidei prædicationem, ab impiis persecutionem passi, eo quod Christum Dominum filium Dei et perfectum hominem esse confiterentur, martyrii coronam assecuti sunt. Eadem fere habet Anthologion a Clemente VIII approbatum, et Menæa. Brevius Græcorum Horologium et Kalendarium, a Genebrardo editum: Sanctorum Apostolorum et Diaconorum Prochori, Nicanoris, Timonis, et Parmenæ. Latini S. Parmenam xxiii Januarii celebrant Philippis occisum; Prochorum Antiochiæ, ix Aprilis; Timonem Corinthi, xix ejusdem.

28 Jul. et 28
Dec. colitur a
Græcis.

4 Eadem Menæa xxviii Decembris ista habent: Eodem die S. Nicanor Apostolus in pace decessit. Quæ ne cum iis quæ ante dicta, pugnare videantur, dicendum in pace decedere idem hic esse ac pie sancteque obire, quocumque demum mortis genere. Nisi forte de alio quopiam Nicanore, nobis ignoto, sit sermo.

DE SS. THECLA VIRGINE, ET JUSTINA,
LEONTINIS IN SICILIA.

SECL. III.
X JANUARIJ.
SS. Theclæ et
Justinae nata-
lis.

L eontinis, vetusta ac celebri urbe Siciliæ, fere medio inter Ætnam et Syracusam intervallo sita, aliquot a mari passuum millibus, coluntur hoc die S. Thecla Virgo, et S. Justina; ut testatur Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Sicilia, et Philippus Ferrarius in generali catalogo SS. Earum mentio fit in Actis SS. Alphii, Philadelphi, et Cyrini, 10 Maii; in vita SS. Isidoræ et Neophytæ 17 April. et S. Neophyti Episcopi 1 Septemb.

Lectioes de
iis et officium.

2 Brevem earum vitam damus ex Catalogo SS. Italiae Philippi Ferrarii, qui eam accepit ex Lectionibus, quæ in propriis officiis Ecclesiæ Leontinæ, a sacra Rituum congregatione sub Paulo V Papa approbatis, de iis recitantur. In iis autem Lectionibus, ut idem testatur, titulus sanctarum Virginum illis præponitur, sola tamen Thecla Virgo, Justina mulier appellatur.

NOT. 138.

VITA EX PHIL. FERRARIO.

Thecla Mar-
tyres susten-
tat.

T hecla virgo Leontina nobilis, S. Isidoræ filia, ab ea Christianæ fidei præceptis instituta, plurimos ex fidelibus tyrannorum persecutionem declinantes, in suis prædiis fovebat, Martyrumque corpora pretio redempta sepeliebat.

Sanatur a
paralysi.

2 Cum autem hæc agens paralysim sex annos in lecto jacens passa esset, seque Sanctis Alphio, Philadelpho, et Cyrino, qui ad eam visendam venerant, commendasset, pristinae sanitati restituitur. Quo ex tempore ipsos sanctos Martyres visitare, necessariaque ministrare non destitit, ac eorumdem corpora a puteo extracta sepelivit.

Cita'tur a
Tertullio
Præsides.

3 Quod ubi Tertullus Præses rescivisset, in judicium illam vocat. Ad quam defendendam, cum ad quingentos ex ejus servis convenissent, quos tamen, soli Deo confisa, dimisit; a moritur Præses: ipsaque B. b Agathonem Episcopum c Liparitanum, in

suo prædio latentem cum Neophyto Presbytero d Leontium ad publice Christi fidem prædicandam accersit. Quibus Romam profectis illa operam suam in fidelium turba augenda, naviter impendit: ac opes ingentes in extruendis templis insumpsit; ac primum sanctis fratribus, alterum viginti sanctis militibus, ac SS. e Neophytæ, et Isidoræ edificavit: fanumque vetus idolis expurgatum, Deiparæ Virgini edificavit. Episcopatum quoque magnificentissime extruxit, dotemque amplissimam attribuit.

d
Laborat pro
infidelium
conversione.

e
Templa
edificat.

4 Tandem in hujusmodi pietatis operibus versata, orationique et eleemosynis intenta, de obitu a sanctis fratribus, per visum ante mensem admonetur. Cujus corpus, cum iv Idus Januæ. ex hac vita migrasset, a Neophyto Episcopo in templo eorumdem Sanctorum fratrum tumulatum est. Justina vero et ipsa nobilis genere, ac Christiana religione nobilior, Theclæ cognate in Leontinorum conversione socia fuit. Cum autem alterum oculum, quo erat privata, S. f Alphii precibus recuperasset; ferventius caritate flagrans, universam substantiam in construendis Ecclesiis distribuit; ac ad cælestem patriam sæpe a sanctis pueris sibi prænuntiatam evolavit.

Præsit obi-
tum suum.

f
Justina oeu-
lum miracu-
lose recu-
perat: templa
edificat.

a De ejus morte Octavius Cajetanus ad 14 Julii: Leontinis sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphi, et Cyrini, mira victoria, contra impium Tertullum Siciliæ Præsidem; cum is, ulciscente Deo effusum sanguinem tot innocentium, cælitus a sanctis Fratribus percussus, misere perit.

b De eo agemus 27 Junii.
c Est Lipara, sive Lipare, præcipua insularum Æoliarum, vel Vulcaniarum, in qua urbs ejusdem nominis, etiamnum Sede Episcopali clara, sub Archiepiscopo Messanensi.

d Ita Ptolemæus quoque urbis nomen extulit. Vulgo Leontini, et oppidum ipsum, et oppidani ab antiquis scriptoribus Græcis ac Latinis appellantur, ut videtur ex apud Cluverium Siciliæ antiquæ lib. 4, cap. 10. e Amitæ nimirum, ac matri.

f In Lectionibus de SS. Alphio et Fratribus, omnibus id tribuitur S. Justinam altero capiam oculo sanarunt.